

www.e-rara.ch

Demosthenis et Aeschinis principum Graeciae oratorum opera

Demosthenes

Basileae, [1571-]1572

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-98668>

Ludovicus Carinus Hieronymo Wolfio S. D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Quisquis Athenarum uult degustare lepores:
 Quisquis Hymettei flumina mellis amat:
 Acer inexhaustas penetret Demosthenis ades:
 Quas habitant Musæ, Gratia, Suada, Venus.
 Has loquor, in ueteri quas Palladis incolit urbe:
 Quas benè Cadmea perpoliere nota.
 Sin iter ignotum, longum, graue, territus horres,
 Nec subeunda putas, tanta pericla uia:
 Crede mihi, cura non dis cruciaris inani,
 Et licet hanc subeas hospes amice casam:
 Impiger è uiuo qua nuper cespite structa
 VVolfius, hospitibus consuluisse studet.
 Splendor abest, fateor, neq. surgit in æthera uertex:
 Est tamen assidui grande laboris opus.
 Forsan & hic, uelut optata recreatus in umbra,
 Mænia Cecropidum, me duce, clara petes.
 Idem Demostheni ualedicit.
 Vade bonis auibus Demosthenes inclyte: summam
 VVolfius imposuit nunc tibi nang. manum.
 Non quin plura queant forsân prestare beati:
 Prompta sed è tenui sunt mea dona penu.
 Aeschines:
 τὸ Ἰουδῆς ὄνειδος ἔστω καὶ τὸ πρὸς αὐτὸν ἔργον αἰσῶν καὶ φιλανθρωπία.

LVDOVICVS CARINVS

HIERONYMO VVOLFIO S. D.



Brahamo Hœchstettero, qui mihi tuas literas attulit, cum ob eas causas quas tu commemoras, tum ob tuam commendationem, quæ plurimum momenti apud me habet, ut hominis mihi summo amore & ipsdem studijs coniunctissimi, nulla in re, in qua opera mea uti uolet, deero. De meo erga te animo ac uoluntate, scio te nil dubitare: uelim tamen mihi occasionem dari ipsa re, quanti te faciam, declarandi. facio autem plurimi, tum ob suauitatem facilitatemq. ingenij, tum doctrinam singularem, quam tibi ardenti studio, summo multorum annorum sudore, iactura etiam uale tudinis peperisti. Quæ, ut spero, tibi fortunam, in hoc annitentibus amicis tuis, inter quos me etiam numerari uolo, te dignam, & tuis studijs aprâ, pariet. Qua in re bonam operam tibi nauarem, nisi hæc tempora iniqua, quæ omnes doctos apud nos premunt, me impedirent. Quæ si immutata fuerint, quod quidem fore spero, & Deus mihi reditum in Germaniam confecerit: nullam occasionem tui iuandi præterlabi sinam. Interim, mi Vvolff, te spe melioris fortunæ sustenta: quæ quo tardior, eo splendidior ac lautior (crede mihi) tibi contingeret: & te ubi semel complexa fuerit, ac fouere cœperit, inter Crassos ac Senecas collocabit: hoc est, planè beatum faciet. Vterer hic exemplis doctissimorum hominum, quorum tu similis es, tui confirmandi causa: quos serò quidem, sed tamen respexit tandem, hera illa imperiosa: quæ sola, ut inquit ille, utranque paginam facit: nisi eorum fortunæ imago, animo tuo impressa insideret. De Demosthene tuo mihi muneri misso, te multum amo: quem ita à te conuersum esse coniecto, ut eum minime relicto pallio togæ pudere arbitrer. Huic euoluendo, quicquid temporis ex meis occupationibus eripere potero, impendam. Vale, mi Vvolff: & tibi persuade, nihil esse quod non æquè libenter pro te ac pro me ipso omni tempore sim facturus. Ex Pictaui, Idibus Augusti. Anno 1550.

HIERONYMVS VVOLFIVS D. LVDO

VICO CARINO S. P. D.



OT, tamque illustres beneuolentiæ singularis in me tuæ significationes, clarissime uir, mihi gratissimæ sunt: consolationes autem, quibus iacentem meum animum erigere cupis, αὐτὰ τὰς οὐρανὸν ἀνυψαίνουσιν penè etiam necessaria. Tametsi enim non parum uereor, ne, in hac ualitudine, præclaras illas spes expectare me fata non patiantur: tamen interim usura frui quid uetat? Delectat etiam augurium hominis non modò amicissimi, sed doctissimi etiam, & longo multarum rerum usu exercitati. Quare facile patior, te prospicere aliquid, quod me prætereat. Illud quoque nescio quid boni ominis habere uidetur, quod literæ tam lætæ Idibus Augusti, natali meo (nam eo ipso die 34. ætatis annum compleui) datæ sunt. Quod autem me hominem literis uix mediocriter imbutum, inter doctissimos numeras: eò plus humanitati tuæ debeo, quò minus istæ præclaræ dotes in me reperiuntur. In Demosthene autem legendo nolim equidem te bonas horas malè perdere. Quis enim est Græcis literis eruditus, quas tu ante me natum opinor perdidicisti, cui non omnes omnium conuersiones sordeant? Ego sanè, qui me puto non omnium esse uel delicatissimum, uel morosissimum, ingenuè fateor, neminem adhuc eorum etiam interpretum, qui se germanos Ciceronis esse putant, id à me impetrare potuisse, ut, tametsi omnia omnium Græcorum scripta nobis eodem, aut etiam meliore genere orationis loquerentur, Græcæ linguæ cognitionem superuacanei laboris esse iudicarem. De meis autem interpretationibus quid ego sentiam, in præfationibus testatus sum. Itaque si præclaram istam de me opinionem retinere cupis: una hac ratione id assequeris, si non legeris. Minuet enim, ut ille ait, præsentia famam.

Cernis, ait, rugasq, senis, canosq, capillos?
 Hic est, quem summo pra Cicerone colis.
 Protinus ille mihi collo dat brachia circum,
 Oscula defigit, more parentis amat.
 Atq, uiro quanquam leuis est & curta supellex,
 Cræsi munifico pectore uincit opes.
 Excipit hospitio tuguri, potuq, ciboq,
 Me fouet, in tali qui solet esse domo.
 Deplorat patriæ sortem, casusq, meorum:
 Meq, iubet tristem spe meliore frui.
 Romana tradit fidus primordia linguae,
 Quæ reddam balbo quomodocunque sono.
 Denique discessum post tot benefacta paranti,
 Hanc dedit (est uestis quæ mihi sola) togam.
 Hæc me Romanum multis facit esse uideri.
 Quæ si non splendet, num minus ergo tegit?
 Me tegit illa quidem: ornatum quis tempore tristi
 Expetat? hoc satis est tempore, posse tegi.
 Ast huic pro meritis & fido pectore grates
 Dij referant: referant, quos colit ille, uiri.

Hactenus Demosthenes Βεβαρβαρωιδις (ut uides) ἔστιν ὁ Βεβαρβαρῶν,
 quemadmodum Euripideus ille Menelaus: adeo, ut λιμέγων canere potius,
 quàm ἱερῶν uideatur. Sed tu pro humanitate tua, & magistro & discipulo
 ignosces: & utrunque, ut facis, commendatum habebis. Vale.

Luteciæ Parisiorum, 19. Augusti, Anno 1550.

ABRAHAMVS LOESCHERVS LECTORI
 Demosthenis studioso.

Ecquid, ut innumeras Demosthenis aspicias artes,
 Lector ab aspectu gaudia multa capis?
 Ecquid, ubi primos uaria dulcedine uersus
 Per legis, immensum dicis adesse decus?
 O quam non falso, quæ sunt celeberrima, laudas,
 Et quibus haud aliquid pulchrius orbis habet.
 At simul eloquij uires, & pondera rerum,
 Cultaq, nativo uerba lepore notas.
 Ecquid inexhausta rerum grauitate moueris?
 Et trepidant subito corda subacta metu?
 Fallor? an assiduos dum cernis inesse labores,
 Atq, putas humeris id fore grande tuis:
 Deseris altiloquas magni Demosthenis artes?
 Nec, quod cœpisti carpere, carpis iter?
 Dij melius: longè cur te sententia fallit?
 Cur tuus in primo limine cessat equus?
 Quàm non iste graues è messe reducit aristas,
 Qui prius ignaua spreuit aratra manu:
 Tam nequit æternos doctrinæ tollere fructus,
 Qui desperatis ocia rebus agit.
 Intendas neruos, animo stimulante labores
 Suscipe, susceptos perfice, magnus eris.
 Quo minus ingenij est, maiores adijce curas:
 Natura quicquid non datur, arte datur.
 Aspice quàm uehemens fuerit Demosthenis ardor,
 Quo studio ætatem uicerit ipse suam.
 Qui, licet attigerit summæ fastigia laudis,
 Ingenium inuit sedulitate tamen.
 Vix bene maturis ætas adoleuerat annis,
 Finieratq, suos prima iuuenta dies:
 Cum iam Cecropiam timide prodiret in urbem,
 Doctus & illustri solueret ora foro.
 Hic quia non potuit strepitus tolerare uirorum,
 Protulit & blefo stridula uerba sono:

Risit

Risit inurbano temeraria turba tumultu:
 Battalus, & dixit, quid feret iste boni?
 Quid facis? insulso cur uteris improba risu?
 Hic, quod natura non tulit, arte feret.
 At lingua nitium uarios Orator ad usus
 Correxerit, uocis conditor ipse sua.
 Ore uolutatos legitur tenuisse lapillos,
 Verbaq; continuis ingeminasse sonis.
 Sape fatigatus longi certamine cursus,
 Protulit alternis illa uel illa modis.
 Insuper ad speculum (speculum suspenderat ingens)
 Formauit gestus non sine laude suos.
 Ut quoq; uitaret socia commercia uite,
 Abraso latuit uertice, multa tulit.
 Quid non assidui possunt superare labores?
 Quicquid habes, studium suscipe, uictor eris.
 Sic ubi naturam sapiens industria uicit,
 Et graue composita sustulit arte malum:
 Torfit in astantes uiolenta tonitrua turbas,
 Et circumfusus perculit ore uiros.
 Sape coronatos inuicto fulmine Reges
 Terruit, & patrijs expulit arma plagis.
 Sapius eloquio paucifacite profuit urbi:
 Et nemo auxilium cum tulit, ipse tulit.
 I nunc, & blase dicas conuicia linguae:
 I nunc, & dicas, quid feret iste boni?
 Ergo age, si Graij resonantia uerba lepōris
 Lector amas, si te gloria tanta mouet:
 Splendida firmato subeas penetralia gressu,
 Et reputa quā sit turpe referre pedem.
 Perge procellosos cymba percurrere fluctus:
 Et spes sit, tumidum uincere posse fretum:
 Crede mihi, nihil est, nihil est mihi crede, quod usus
 Non queat, aut longa cura parare mora.
 At si te uarij series numerosa laboris
 Prægrauat, & tremulam supprimit undaratem:
 Ecce laboranti medijs succurrit in undis
 Volsius, & certo tramite uela regit.
 Donat in Ausonias conuersa uolumina uoces:
 Et quo sint cursu Græca legenda, docet.
 Huic Demostheni maiestas illa nitōris
 Natium tota tradidit arte decus.
 Tradidit ornatum, Graijq; insignia fastus:
 Et mea iam Latium gloria, dixit, erit.
 Hinc quoq; dum meritas capiet facundia laudes,
 Volsius insigni nomine notus erit.

NICOLAUS STOPIVS AD
 candidum Lectorem.

Græcia, quæ tantis sua tempora laudibus olim
 Extulit, hoc merito fecit ut illa suo
 (Nulla uiros etenim tam doctos protulit ætas
 Hactenus, aut similis pars fuit ulla poli)
 Sic deserta modo merito iacet, atq; relicta:
 Cordatos potuit quæ male ferre uiros.
 Quantos exilio petulantia punit atrox?
 Quanta & in innocuos carnisfina fuit?
 Cuncta perire uides falso moderamine ducta:
 Hoc usus rerum, longaq; secla probant.
 Felix, ter felix, præclaraq; publica res est,
 Prouida canities æqua ubi sceptrā gerit.
 Attica quum caput sapientum spernere uoces
 (Ab nimis imprudens) & sua uota sequi:

t Impia

Impia cœperunt grassari praelia: cuius
 Exacuit ferrum cuius in exitium.
 Et si omnem mouit lapidem Demosthenis ardor:
 Tam prauos potuit nil moderari animos:
 Gr. nulla fuit, tanto pro munere, digna:
 Hunc sed in exilio sumpta uenena necant.
 Clara tamen remanet uirtus, & gloria perpes
 Viuit: & ipse adeo nunc rediuius adest.
 Hunc at enim terra pressum tenebrisq; sepultum
 Donauit uita Vvolsius ecce noua.
 Doctiloquas igitur cui iam Demosthenis artes
 Est perdiscendi cura, uel ullus amor:
 Huc properet: poterit uarios haurire lepores:
 Vvolsius ad fontem dulce parauit iter.
 Reddidit è Græco, facili sermone Latinum:
 Romanus prodit, Græcus ut antè fuit.
 Nudior aſt aliqua ſi parte uidebitur eſſe:
 Cum uenia fiet, cauſaq; iuſta ſubeſt.
 Pallia, multa tegunt, toga quæ proferre nequibit:
 Natiui cultus Graius honore nitet:
 Quemq; decet ſua ueſtis, & aptè membra coercent,
 At qui aliena decus conciliabit idem?
 Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
 Muſa loqui: Graios copia larga beat.
 Graius mille ſonos modulato gutture promit
 Vox Latio ſimplex, eſtq; canora minus.
 Attica uerba inbes Romano fundere campo?
 Arpinās ue tibi Pæaniens ſis erit?
 Crede mihi nemo poterit præſtare quod optas:
 Natura abſimilem fecit utrumq; nimis,
 Sed quod præſtari puto poſſe: uolumine in iſto
 Præſtitit eximio Vvolsius ingenio.

Aesopica rana.

Vasto rana boni, exiguo dum corpore certat:
 Filius huic monitor, Desine mater, ait.
 Dirumpere prius: te nosce: negata relinque:
 Nam tumor exitium mox feret iste tibi.
 Fabula quò tendit? Demosthenis amulus excors
 Quid studet? Aequet uti garrula rana bouem.

SEXTI ET VLTIMI

Tomi finis.